



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jacobi Sadoleti Card. Et Episcopi Carpentoractensis Viri  
Disertissimi, Opera quæ exstant omnia**

**Sadoleto, Jacopo**

**[Francofurti], 1607**

Il. Iacob Sadol. S.R.E. Card. Petro Bembo, S.P.D.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69244](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69244)

## II.

JACOB. S ADOL. S. R. E. CARD. PETRO BEM-  
bo, S. P. D.

Neque hilariter possum, neque tristiter, etiam verbis ad te scribere: quod in altero mihi animus meus repugnat, in altero hominū opinio atque iudiciū. Quaecumque tamen id sit quod mihi accidit, scire te volo, me his proximis comitiis à Paulo III. Pont. Max. in amplissimū ordinem S. R. E. Cardinaliū esse coopratum. Quod si ne letandum, necne sit, equidem ignoro. Scio enim me alias huiusmodi occasiones vitasse: & nunc quidem certe quod factum est, neque ex voluntate mea, & præter omnem expectationē factum est. Ac singularis quidem Pont. Max. voluntas declarata est aduersum me, qui iudicauit eo honore me dignum, quo forsitan non sum dignus: vel potius planè non sum, quis enim est tam arrogans, qui audeat ipse de se facere iudicium dignitatis? Sed quod ego line ambiguitate & sine vilo errore iudico, onera quæ honorem eum consequuntur, mihi ita graua sunt, vt nō videam quo pacto possim ea sustinere ac ferre. Te quidem rogo mi optatissime Bembe, vt me amare non desinas. Minor apud te sum factus, quam fuerim antea. Hoc enim & ego suspicor & re ipsa ita est. Sed noli hoc quaeso, meae culpæ adscribere: potius fortunam accersis, quæ me compulit in eiusmodi vada & cautes, vt aut fama omnium prudentiæ abiicienda mihi fuerit, aut libertas infringenda. Ego verò pudore & timiditate ingenua quadam malui contineri, quam stultus iudicari. Si lapsus iudicio sum, ignorantia id meze tribuendum est. Si verò mea ratio habet aliquam rationem, cum tu si defendendam susceperis, potero sperare, me omnibus purgatum & probatum fore. Te quidem ego indies magis magisque diligo, plurimiq; facio. Lazarum meum meis verbis salutare iubetiq; ceteros: quos ferè habemus amicos communis. Me quo minus plura scribam, meae molestæ grauesq; sollicitudines, & cura rerum necessariorum auocat. Vale. Romæ, Calen. Januarij, M.D. XXXVII.

## III.

JAC. S ADOL. S. R. E. CARD. RODVLPHO  
Pio Carpensī S. R. E. Card. S. P. D.

Quia me tecum vnà, Paulus Pontifex Maximus in amplissimum S. R. E. Cardinalium ordinem coopratuit: non tã res ipsa mihi iucunda accidit, propter prioris vitæ meæ (vt ego arbitror) beatioris desiderium, quam summi benignissimiq; Pontifi-